B. C. D.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

ELECT. SAX. HERED. ETC.

DISSERTATIONEM MEDICAM INAUGURALEM,

DE

PODAGRAE PRAESERVATIONE,

EX AUCTORITATE

Illuſtris ac Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

DN. PAULO GOTTFR. SPERLINGIO,

Med. Doct. & Botan. P.P. longe Celeberrimo, nec non Archiatro Principis Serveſtani Splendidiſſimo, p. t. DECANO Spectatiſſimo,

DOMINO AC PATRONO SVO SVMME DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

GRADUM ET PRIVILEGIA DOCTORIS

RITE LEGITIMEQUE CONSEQVENDI,

PUBLICÆ PHILIATRORUM CENSURÆ SUBDIT

MICH. FRIDERICUS BOLDUANUS,

Cöslin. Pom.

Ad d. XXIV. Maj. M D CC VIII.

IN AUDITORIO MAIORI,

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGÆ, LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

Dupl.



I. N. I.

§. I.



QUoties opem Medicam anxie implorant Podagrici, toties fere oleum & operam perdere Medicos obſervamus, cum, in rebelli hocce malo, ſæpe ſelecta remedia, in opprobrium Artis, nequicquam exhibeantur. Hujus vero rei cauſa non in Arte eſt quærenda, quæ, juxta Hippocratem, omnium eſt nobilisſima, ſed in ægro latet, qui vel ſero petit auxilium, ætate jam inclinante, humoribusque corruptis, vel diætæ regulas non ſervat, & genio indulget, atque affectibus animi neſcit imperare. Quandoque Parentes non parum ad hunc affectum conferunt, & ægri hæreditario jure malum posſident, quod intimis hæret medullis, &, vel hoc nomine, non facile poteſt extirpari. Ne tamen omni ope deſtitutos, prognoſtico quaſi, relinquam Podagricos, in eam curam incumbam, ut ex parte feram ſuppetias &, loco inauguralis ſpeciminis, in morbi genium inquiram, atque ſelecta remedia breviter recenſeam. Quia ve-

ro, juxta Chryſologum, magis acceptus eſt Medicus, qui anticipat morbos, quam qui eos, poſt perpeſſos multos dolores, ſerius demum tollit; ideo de Præſervatione Podagræ, ſaltim hac vice, ero ſolicitus, inprimis, cum durante Paroxyſmo, communiter ita dicto, pauca remedia locum inveniant, & ſæpe ſola diaphoreſis ſufficiat. Jubeat *Divinum Numen*, ut in ſolatium agrorum cedat labor, & rebelle malum, vel extirpetur penitus, vel ſerius ſaltim redeat, & cum minori moleſtia affligat, quod facilius poteſt impetrari.

§. II.

Antequam vero ſolidam præſervandi methodum tradam, neceſſe eſt, ut, in quo morbi indoles conſiſtat, oſtendam, & accurate exponam, ex quibus cauſis oriatur. Hoc dum aggredior, monendum prius Lectorem eſſe cenſeo, me non tam de Arthritide in genere eſſe ſolicitum, quam peculiarem iſtum pedum dolorem mitigare, vel potius præſervare velle, qui circa pedum articulos exoritur, & cum tumore, rubore atque calore, communiter, conjungitur. Quanquam enim Podagra nihil aliud, quam Arthritidis ſpecies & particularis pedum Arthritis ſit; ob quam cauſam, Vulgus pariter atque Eruditi, Podagram & Arthritidem pro iisdem habent affectibus, imprimis cum ex eadem cauſa oriantur & iisdem fere remediis indigeant, ſeque invicem ſæpe excipiant, ut modo Arthritis præcedat, modo ſequatur; tamen quia Podagra etiam ſola, non nullos ægros, per omnem vitam affligit, & ab Arthritide non tantum ratione partis affectæ, ſed etiam ratione gradus differt; ideo illam magis ſolam, hac vice, arcere & diſpoſitos ab eadem præſervare, in animum induxi. Interea non negaverim hoc modo de eadem fidelia,

quod

quod ajunt, duos dealbari parietes, & dum Podagram non admittere laboramus, etiam Arthritidem profligari, cum omnia, quæ massam sangvineam purificant & salia ejus detergunt, utrique affectui conveniant.

§. III.

Est autem Podagra dolor pedum plerumque acutus, circa articulos, & potissimum pollicem pedis majorem, communiter cum rubore tumore atque calore conjunctus, a vitiato spirituum motu in parte dolente dependens, quem violenta contractio & irritatio ligamentorum, quæ articulos vinciunt & ipsius periostei circa articulationes excitant. Dolor hic adeo sæpe est acutus, ut operosi sint Practici, in ejus indole describenda, & eum modo pungentem, modo lacerantem, modo pulsantem appellent, & quandoque etiam per ardorem soleant exprimere. Illud tamen aliquale ægris his affert solatium, quod, sicuti juxta *Senecam*, nemo diu valde dolet; ita hi quoque dolores non perpetui sint, nisi in inveterato malo quodammodo; sed comuniter per Paroxysmos redeant, ac verno & autumnali tempore magis affligant, atque stato quasi tempore moveantur.

§. IV.

Sicuti vero in Arthritide dolor plures articulos simul & ipsum quandoque sternum, vertebras colli, scapulas atque nasum occupat, & in Chiragra manus, in Gonagra genua, in Ischiadico malo coxendicis sive ossis Ischii regionem afficit; ita in Podagra pedes unice, circa articulationes ossium, infestat. Ex acerbitate autem doloris, qui communiter valde acutus est, facile possumus judicare, partes magis sensiles, præ aliis hic laborare, & quidem circa articulos positas, quales

 sunt,

funt, ligamenta membranacea, articulos colligantia & ipſum perioſteum, in locis oſſium articulationi proximioribus. Eſt enim perioſteum membrana oſſibus ſuperexpanſa, acutiſſimo ſenſu prædita, vaſisque varii generis exornata, ex fibris muſculorum & dura matre, juxta Haverum, conſtructa. Quia vero fibræ hujus perioſtei per ipſam oſſium ſubſtantiam penetrant, & ab una oſſis extremitate verſus alteram tendunt, atque muſculorum quoque tendines, ad perioſtea propagantur, vel ipſis oſſibus inſeruntur; ideo ipſa quoque oſſa ac muſculorum tendines affici ac una pati, non eſt improbabile. Ipſa etiam Lympha illa roſcida, dulcis ac gelatinoſa, quæ oſſium articulationes, inſtar axungiæ, oblinit, & motum membrorum facilitat, a ſtatu naturali cum tempore ſecedit, & acris ac ſalſa evadit, atque circa articulos colligitur, & cum tempore concreſcit, ac, in conſummata Podagra, in tophos & cretaceam gypſeamque materiam coagulatur, nodosque intra articulos excitat & motum membrorum ſufflaminat. Tota quoque maſſa ſangvinea non omni labe caret, ſed materialem cauſam continet, eamque, certis temporibus, ad pedes dimittit, ut non plane errent, qui dicunt, non in pedum articulis tantum hærere podagram, & licet dolentem partem abſcideris, podagram proinde non æque ſanaveris. Sæpe etiam Ventriculus fundamenta mali ponit, ſi non exacte alimenta ſolvit, & partes terreas & ſalinas, a ſeroſis dulcibus, non ſecernit, chylumque craſſum generat.

§. V.

Oritur autem, acutus hicce pedum dolor, a motu lymphæ nervorum ſpirituoſæ vitiato, quem in parte dolente, violenta contractio & irritatio partium admodum

dum sensibilium, circa articulos, & inprimis ligamentorum membranaceorum, quæ articulos vinciunt, ipsiusque periostei, circa articulationes, & potissimum circa pollicem pedum majorem, excitant. Contractio autem ista violenta & irritatio partium membranacearum atque periostei, a salibus & eorum spiculis acutis dependent, quæ partes istas sensiles affligunt, & Lympham nervorum spirituosam vitiose exagitant. Qualia vero illa sint salia, acidane, an alcalia, vel enixa, quæ dolorum horum causa materialis existunt, non æque prompte potest determinari. Enixa eadem esse, videtur probare spiritus, quem ex sputo podagrici consummati, in calcis consistentiam siccato, destillavit *Kerkringius spicileg. anat. obs. 82. p. 67.* qui inter spiritum tartari & salis ammoniaci, quodammodo medius fuit observatus. Quia tamen etiam oleum foetidum, oleo tartari simile prodiit, & ex capite mortuo sal, a sale tartari non longe abludens, fuit extractum, ideo magis ad alcalia videntur inclinare. Hanc opinionem quoque tuetur Dominus *Colbatch*, Medicus & membrum Regii Medicorum Collegii, quod Londini est, qui, in Podagra, omnem culpam in alcali congerit, & huic sævissimos ejus dolores acceptum fert, atque ad experientiam provocat. Observavit enim serum Podagra laborantium, mixtum cum solutione syrupi violarum, semper colorem cœruleum in viridem, ut salia lixiviosa aut volatilia solent, non in rubrum, convertere. Tophos etiam ac nodos podagricorum ex materia alcalica, omnium consensu, esse conflatos affirmat, & ideo dolorem quoque podagricorum, ab extravasato humore alcalico, membranas juncturarum irritante, deducit, inprimis, cum sangvis podagricorum majori

copia salium alcalium, quam sanorum hominum gaudeat. Contra qui Ettmüllerum, Tachenium, Sylvium &, qui hos sequuntur, audiunt, illi ab acido volatili spirituoso, sui generis & specifici saporis, membranaceas partes affligente, non minus Arthritidem, quam Podagram deducent. Huic vero opinioni nos quoque, quodammodo, favemus, & acidum sal in podagra, præ aliis, accusamus, alcali vero, quod conjungitur, se magis passive habere arbitramur. Quanquam enim & acida & alcalia salia, in massa sangvinea & partibus fluidis corporis nostri hærentia, per motum istum continuum, quo partes fluidæ in nobis gaudent, intimius inter se misceri, & ita in enixa abire videantur, ut nec acidum, nec alcali, sibi relictum, in nobis superstes esse videatur; contrarium tamen nobis persvadent odores varii corporum viventium & eorundem excrementorum, non minus, quam salia volatilia, magnam partem sibi relicta, in cornibus & ungvibus brutorum, ex eorum massa sangvinea separata. Ex juvantibus quoque & nocentibus suspicari licet, acidum in arthriticis & Podagricis prædominari, quia acida his ægris maxime nocent, & paroxysmos accelerant, cum contra alcalibus arceantur, & ægri iisdem restituantur. Ad hanc rerum magistram quoque provocat Dn. *Tuthill*, qui Domino *Colbatch* non contemnenda dubia circa suam hypothesin de alcali podagræ causa movet, acidaque noxia, alcalia proficua observat, atque insuper ostendit, alcali in sero humano, etiam benevalentium, syrupum violarum, eodem modo viridi colore inficere. Salia itaque acida præ aliis lege circulationis, ad sensiles istas pedum membranas delata, & certis temporibus ibi stagnantia, spiculis suis acutis, eas lancinant & pungunt,

atque

atque hoc modo efficiunt, ut fibræ earundem vitiose contrahantur, & spiritus, in iis hærentes, præter naturam commoveantur. Ex hoc autem vitiato lymphæ spirituosæ motu, anima dolorem percipit, quæ, pro vario fluidi hujus nervei motu, varie afficitur. Interim non negamus, terreas quoque & alcalicas partes acidis diversimode, pro ratione subjecti, esse admistas, & non plane eandem acidi, nerveas partes pungentis, in omnibus Podagricis esse misturam. Placet itaque in tantum Helmontius, qui in Tr. de Lithiasi dicit: si particularum ad partes influentium figuras, modo pyramydales, modo cubicas, sphæricas & sexcentas alias, exactius examinaremus, forsan plures, quam nonaginta, podagræ differentes species possemus numerare.

§. VI.

Quocunque interea misceatur modo materia peccans, ex Massa sangvinea tamen omnis est repetenda, quæ cum lympha sua, a blanda ista dulcedine, qua in naturali statu gaudet, multum decedit, & salia copiosa, multasque partes terreas adsciscit, &, cum successu temporis, crassior & ad motum redditur inidonea. Inprimis lympha, quæ salia, in massa sangvinea hærentia, promte recipit atque solvit, præ aliis inquinatur & in motu suo turbatur, si impura est, atque in reditu ad massam sangvineam, ubi ab arterioso sangvine fuit separata, moras nectit in partibus potissimum exterioribus. Ibi vero salia, quæ secum vehit, partibus membranaceis, valde sensibilibus illiduntur, quæ inde contrahuntur & lympham nervorum spirituosam, in iis hærentem, vitiose exagitant.

§. VII.

Hoc autem partium fluidarum vitium, & salinum hoc atque terreum lutulentum earundem inquinamentum, sæpe a parentibus liberis traditur, & hereditate miseris obvenit, atque cum materno lacte exsugitur, & cum innocenti fœtu communicatur. Testatur enim experientia, podagricos liberos sibi similes procreare, & hypochondriacorum, scorbuticorum atque calculosorum infantes podagræ, præ aliis, esse obnoxios, quia Massa eorum sangvinea copiosis partibus salinis atque tartareis est inquinata. Hinc Ettmüllerus nobilem curavit juvenem, qui ab octavo ætatis anno podagra laboravit, quod parens ejus podagricus, in ipso paroxysmo, eum genuerat. Hæc itaque progenies, præ aliis, præservatione indiget, quæ, si in tempore in usum vocaretur, notante etiam Plutarcho, longe foret efficacior, quam ubi malum per longas moras invaluit. In aliis cum tempore partes excrementitiæ in corpore cumulantur, & serum dulce cum ætate, variis modis dissipatur, acescente parte residua; unde senes huic affectui magis sunt obnoxii, cum juvenes ob serum dulce copiosum atque roscidum, magis sint immunes, inprimis ante Veneris usum, nisi gravior causa præcesserit.

Corripiuntur etiam magis mares, propter errores graviores in diæta, quos committunt; cum contra fœminæ magis immunes sint, partim propter abstinentiam, partim propter partes serosas dulces copiosiores, quibus præ maribus communiter abundant, quæ spicula salina, si quæ colligunt, obtundunt. Deficientibus tamen mensibus, juxta Hipp. aphor. 20. non plane sunt immunes. Imo hodie etiam, antequam menses desinunt,

nunt, corripiuntur, quia non natura, ſed vita & diæta earum quandoque eſt immutata, & Hippocratis locus ſaltim ſub priſci ævi innocentia, & temperantia obtinuit. Non minus Evnuchi, qui olim a podagra liberi judicabantur, ob parentum vitia, & errores proprios, quos totum genus humanum indies cumulat, contra Veterum experientiam, quandoque corripiuntur.

§. VIII.

Ex nonnaturalibus rebus, ad podagram inducendam, multis modis concurrit Aer frigidus, nebuloſus, humidior & craſſus, qui tam ob anni tempus vernum ac hiemale, quam ob regionis ſitum, poros occludit & tranſpirationem liberam ſufflaminat, atque partes ſalinas ac terreas in corpore cumulat. Ob hunc Aeris ſtatum, plerumque, ſtatis anni temporibus, inprimis circa veris & autumni initium, menſe Januario Februario & Martio, it. in fine Septembris atque Octobris, redire ſolent paroxyſmi podagræ, ut tunc temporis hi ægri, omnium maxime, remediis indigeant. Hinc etiam Chorus apud Lucianum in Tragopadagra p. 690. canit:

Quum vere tenuis pullulat flos ulmeus,
Merulaque ramis inſidet loquacula,
Sagitta in Myſtis tunc acuta figitur,
Subitque clanculum artuum penetralia.

Non minus alimenta podagræ occaſionem præbent, ſi ſint acida, nimis ſalita & fumo indurata, quia ſerum dulce inquinant & humores ſalibus ſuis inficiunt. Imo alimenta laudabilis ſucci, ſi in nimia quantitate ingurgitantur, non omni culpa carent, quatenus actionem Ventriculi turbant, & exactam alimentorum ſolutionem impediunt. Inde vero cruditates exoriuntur, &

centra ingestorum non exacte solvuntur, & multæ partes serosæ dulces, cum inutilibus mistæ, ad intestina crassa deferuntur; cum contra aliæ excrementitiæ inutiles, terreæ atque acidæ, cum chylo mistæ, ad massam sangvineam delabuntur. Sæpius etiam excessus in potu stomachi vires frangit & cruditates generat, atque largior usus vini, tam generosi, Hungarici, quam acidi, inprimis recentioris, ut & spiritus vini usus immoderatus, tartarum in corpore cumulant & lympham acescentem generant. A larga enim vini ingurgitatione sæpe extraordinario tempore recidivat malum, cum contra abstinentia a vino, quosdam a podagra liberaverit.

Vigiliæ quoque, ex industria susceptæ, & lucubrationes nocturnæ, ac meditatio, atque curæ non interruptæ ac sollicitudines, lympham nervorum spirituosam dissipant & totum corpus debilitant, atque ventriculi actionem potissimum turbant, evocatis spiritibus in laborantis cerebri subsidium.

Motus quoque corporis nimius & intempestivus, nimis cito post cibum sumptum institutus, solutionem alimentorum in ventriculo vitiat, atque cruditates generat, quatenus Chylus quasi crudus in vasa præcipitatur, & lympha dulcis nimium dissipatur: quies contra nimia atque desidia, it: vita sedentaria, humores excrementitios in corpore cumulant, transpirationem liberam inhibendo, & humores ad stagnationem disponunt. Hinc Podagræ magis sunt obnoxii, qui laute vivunt, & otio vitam transigunt, quam agricolæ, & qui laboribus assvevere.

Consvetæ quoque sangvinis evacuationes suppressæ, & alvus segnior, atque urinæ insufficiens secretio, & transpira-

ſpiratio inhibita, ſalia & terreas partes in corpore cumulant, & eo nomine in cauſarum numerum ſunt referenda. Contra ſudores nimii, & exceſſus in Venere, lympham dulcem imminuunt, & rorem blandum nervis ſubducunt, partes vero impuras craſſas in corpore relinquunt & totum corpus debilitant.

Affectus quoque animi, inprimis ira & mœror, nimium exagitant lympham nervorum ſpirituoſam, atque disſipant, totumque corpus debilitant, & ſæpius paroxiſmos podagricos accelerant. Hinc Bacchum patrem, Venerem matrem, & iram obſtetricem Podagræ, vulgus ſolet nominare. Quanquam enim gravioribus animi affectibus & ſubitanea conſternatione quandoque ſublata Podagra fuerit notata, hoc tamen ſaltim per accidens factum fuit, quatenus nimia ſpirituum exagitatio humorum vitioſorum in pedibus ſtagnationem ſuſtulit.

Ex rebus præternaturalibus ad Podagram diſponit, Malum Hypochondriacum, Scorbutus, Calculus, Arthritis, qui affectus omnes ſimili impuritate ſangvinis ſalina & terrea gaudent, unde debilitatis quocunque modo pedibus, a frigore, luxatione, vel alia quacunque cauſa, materia circa pedum internodia ſubſiſtere, & podagram poteſt excitare. Non minus ventriculi debilitas, febres intermittentes, & inprimis quartana, it: continuæ, Gonorrhoea, Lues Venerea & omnia, quæ ſerum dulce imminuunt, & partes fluidas corporis impuritatibus terreis inquinant, ad podagram diſponunt. Rarum vero eſt, quod per contagium propagetur podagra, quale quid per veſtes in Eph. German: dec. 1. an. 6. p. 205. ut & apud Bartholinum Hiſtor. Med. c. 9. notatum legimus.

§. IX.

Sicuti vero certa anni tempora & aëris ſtatus craſſus, humidus ac nebuloſus, Medicum, de imminente podagra, certiorem faciunt; ita eadem ſæpe aliis quoque ſymptomatibus, paroxyſmum præcedentibus, ſe manifeſtat. Utplurimum de moleſtia & anxietate circa præcordia queruntur, & cruditates in primis viis perſentiſcunt, flatibusque excruciantur, quæ totius corporis gravitas atque torpor comitantur: alvus vero communiter evadit ſegnior, & totum corpus tranſpiratione libera, atque pedes conſveta humiditate deſtituuntur. Quidam oſcitatione frequenti exagitantur, & magis iracundi ſunt, atque in Venerem proni, acidisque alimentis delectantur. Succedunt poſtea ſpaſmodicæ pedum contractiones, quæ ſenſim excipit dolor, utplurimum circa pollicem pedis majorem, qui ab initio ſaltim in uno pede eſt moleſtus, & cum ſucceſſu etiam alterum pedem occupat. Si ſæpius dolor hicce redit, & ægri diætæ regulas non obſervant, atque ſelectis remediis non utuntur, malum, cum tempore, alia membra, genua, brachia, &c. affligit, & in perfectam arthritidem degenerat. Dolor vero communiter eſt acutus, pro ratione diætæ, & medicamentorum aſſumptorum, atque ætatis & cauſarum graviorum. Sæpe etiam cum tumore œdematoſo, rubore, calore & pulſatione circa articulos, & potiſſimum pollicem pedis majorem, dolor hic conjungitur. In incremento ægri anxii ſunt circa præcordia, & de ardore & æſtu circa regionem ſtomachi, atque graviſſima ſiti queruntur, & potum frigidum appetunt. Appetitus vero ſolidorum communiter penitus eſt proſtratus, & interdum Vomitus unus vel alter, aut inanis

nis ſaltem vomendi conatus affligunt, quæ anxietates exacerbant, & quandoque cum animi deliquio conjunguntur. In inveterato malo, quandoque in principio & incremento, animi deliquium conjungitur, quod tamen in ſtatu, ubi dolores & tumor increvere, ſæpe penitus remittit. Accedit etiam utplurimum febris continua ſymtomatica, quæ cum horrore incipit, calore atque vigiliis inſequentibus. Cito tamen & inſtatu, ubi materia peccans ad pedes eſt propulſa, iterum remittit, & ad febres catarrhales, a quibusdam, refertur.

§. X.

Ex hactenus itaque dictis facile intelligimus, Præſervationem podagræ perquam eſſe difficilem, imprimis ſi fuerit inveterata & æger cum ea ſeneſcat, atque paroxyſmi crebrius redeant ac vehementius affligant. In his enim veſtigia ſui in pedibus relinquit, & articuli debilitantur, & motus eorum multum imminuitur, ac tandem in paralyticam conſtitutionem, atque nodoſam podagram abit, ubi intra articulos tophi & nodi concreſcunt, qui motum eorum impediunt. Ibi vero pedes flacceſcunt, nutritione eorum deficiente, & contrahuntur circa articulos, rigidique permanent, quam conſummatam podagram tollere aut præſervare neſcit Medicina. Non facile quoque præſervantur, qui ex hæreditate podagra laborant, ut & hypochondriaci aut ſcorbutici, quia tota horum maſſa ſangvinea impuritatibus ſalinis & terreis eſt inquinata. Eodem modo parum proficies, in illis, qui diætæ regulas non ſervant, cibisque acidis, ſalitis & fumo induratis utuntur, & in uſu vini ac ſpiritus vini, aut in Venere excedunt, atque ab ira ſibi non poſſunt temperare. Selectiſſima enim remedia illis fruſtra exhibentur & expectationi

non

non ſatisfaciunt, licet omnem lapidem moveas, & nihil relinquas intentatum. In quibus etiam paroxyſmi ſæpius repetunt & ægros diutius affligunt, ac poſtea langvorem diuturnum poſt ſe relinquunt, illi non facile præſervantur, & in cachexiam, aut hydropem facile incidunt, ipſiusque mortis periculum ſubeunt. Licet enim in ſe non ſit morbus lethalis podagra, ſi recte tractetur, & ſæpe ſeneſcant, qui ea laborant, & potius, ex podagra deficiente, quam ordinarie repetente, multi moriantur; ſi tamen ſæpius redeunt paroxyſmi, & diutius durant, vel repellentibus turbantur, non raro mortem inferunt, alio morbo graviori ſuperveniente. Non etiam facile præſervantur, qui in pede luxationem fuere perpesſi, quia in illis membranæ, & ligamenta nimis laxantur, & repoſitum membrum non ſatis firmant, ut &, quia vaſa comprimuntur, & humorum ſtagnationem excitant. Si etiam plura & graviora ſymptomata ſuperveniunt, quod ab erroribus in diæta, vel ab externis repellentibus quandoque fit, & ægri in animi deliquia incidunt, aut anxietatibus corripiuntur, aut langvore inconſveto, tunc præſervatio eſt difficilis, & ſi ad gulam dolores tranſeunt, ſæpe perniciem minitantur. Malum quoque ſi in colicam, aut epilepſiam mutatur, quod ſæpe ab inepta externorum applicatione fit, & diuturnam virium proſtrationem, ac langvorem, cum appetitu dejecto, poſt ſe trahit, quæ ſyncope & mors, ſæpe excipiunt. Interdum etiam palpitatio cordis item Tuſſis ſicca & Aſthma convulſivum ac ſubinde ipſa mors ſuperveniunt. Si tamen recens eſt podagra & æger juvenis atque obſequens, non omnis ſpes ſalutis eſt abjicienda. Facilius etiam præſervantur, qui nullum adhuc paroxyſmum ſuſtinuere,

nuere, etiam si a podagricis vel Arthriticis fuerint geniti. Sic novit Dn. Præses Medicum quendam quinquagenarium, a Patre calculoso & Avo arthritico genitum, qui nunquam podagricos aut arthriticos insultus sustinuit, quia antiscorbuticis & sangvinem purificantibus sæpius utitur, & diætæ regulas non plane negligit. Si quoque æger restitutionem non præcipitat, & solutionem paroxysmi in lecto expectat, usque dum materia peccans, in parte affecta, per diaphoresin penitus sit discussa, ut nullum sui relinquat vestigium, diutius liber permanet, & si tunc restitutus cito & post primum insultum convenientibus remediis utitur, & exacte diætæ regulas observat, quandoque penitus potest liberari, vel minime paroxysmi differri possunt, & dolores mitigari. Sic Dn. Præses in tantum restituit Generosum quendam Virum, qui antea per tres annos hyberno tempore, per quinque fere menses, a podagra in lecto detinebatur, ut nunc vix intra trium annorum spatium semel, per paucos dies, paroxysmo mitiori laboret.

§. XI.

In Præservatione autem ipsa, respiciendum est ad Massam sangvineam & reliquas corporis nostri partes fluidas, quæ causam podagræ materialem continent, & eo est allaborandum, ut partes impuræ terreæ & salinæ, acidæ potissimum, ex iis eliminentur. Roborandus etiam est stomachus, ut chylum dulcem atque purum conficiat, & partes terreas atque salinas acidas, ab utilibus separet, atque ita sangvis novus purior, ac lympha magis dulcis generetur. Externe vero pedes sunt roborandi, & contra injurias externas defendendi, atque libera transpiratio in toto corpore, ac inprimis pe-

dibus, conservanda. Tandem etiam diætæ exacta ratio est habenda, quam, qui negligunt, illi selectis remediis frustra utuntur, & nunquam facile liberantur. Mam Seam & partes corporis nostri fluidas corrigunt, & causam podagræ materialem, terreas ac salinas acidas ejus partes abstergunt & eliminant, ex FONTE CHIRURGICO quandoque VÆ SIO, si sangvis abundat, evacuationes sangvinis consvetæ sunt oppressæ, æger est vini potor, & juvenis, aliaque signa Væ Sem indicantia consentiunt. Si enim aliqua pars materiæ peccantis demitur, residua facilius corrigitur, & sangvini meliori novo paratur aditus, ut promptius admittatur. Si copiosiora adsunt signa Væ Sem indicantia, & imprimis sangvis valde abundat, potest etiam repeti Væ Stio & bis in uno anno secari. Quanquam enim *Stisserus Tract. de podagra* per venæ sectionem, podagræ causam potius confirmari, quam abigi sibi persvadeat, & *Sydenhamius* quoque ejus usum dissvadeat, & ex frequentiori Væ Sectione podagram in juvenibus citius inveterascere dicat; placet tamen præ his potius *Celsus*, qui *Lib. 4. c. 24. de Medicina* Væ Sectionem inter initia podagræ institutam, sæpe annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem tutam præstitisse, asseverat. Confirmat nos ulterius in hac opinione *Feldmannus de Dea Podagra p. 152.* qui senex vertiginosus se ipsum, mediante Væ Sne, per integrum annum, ab utroque malo liberum conservavit, vid. etiam *Pechlini Obs. p. 274.* Illud tamen, circa hanc operationem Chirurgicam, est notandum, quod antequam detrahatur sangvis, præmittenda prius sint ea, quæ primas vias a saburra liberant, ne, quod ibi hæret vitii, intra vasa rapiatur.

Non

Non minus CUCURBITULÆ ſcarificatæ, ubi pauciora adſunt ſigna Væ Sem indicantia, quandoque cum fructu ordinantur, &, teſte experientia, paroxyſmos podagricorum arcent, quale quid ex GULDENKLEO in ſequentibus allegabimus.

Ipſa quoque *Veſicatoria* atque *Fonticuli* ſæpe conveniunt & non ſine fructu excitantur, atque paroxyſmos arthriticos egregie præſervant, quatenus ſerum acre & ſalſum evacuant, de quo *Borellus cent. IV. obs. 55.* videatur. A multis quoque commendantur *Cauteria actualia*, qualia, ante paucos annos, duce *Buſchoſio*, ex Chinenſium moxa conficiebant podagrici, & ad ea, tanquam ad ſacram anchoram, confugiebant, ac, ne in alium orbem propterea navigandum eſſet, ex artemiſia, cujus ſoboles erat, componebant. Pro novo vero invento habebant hunc urendi modum, licet lini cujusvis ardentis & ranunculi vulgaris atque cotonis vulgaris idem ſit effectus, & Alexandriæ in Ægypto notiſſima ſit illa urendi methodus. Quia vero uſtiones tales non morbi, ſed paroxyſmi ſaltim, & nequidem hujus ſemper levamentum ſunt, & interdum ulcera profunda excitant, ideo hodie elogia eorum frigent & ſenſim exoleſcunt. Per amputationem vero maximi pedis digiti nemo prudens podagram facile curabit, quod quidam doloris impatiens in *Ephem. Germ. d. I. A. 9. obſ. 128.* feciſſe dicitur, qui deinde a morbo per totam vitam vixit immunis. Nec Illuſtriſſimi illius, cujus ibidem fit mentio, curatio arridet, qui, podagricis doloribus correptus, pedes virgis cædendo ad ſangvinis ſtillicidium, ſe ipſum liberavit; æque ac tortura magis ad inducendam podagram, quam auferendam videtur idonea, licet hac quoque podagram ſublatam fuiſſe *Hildanus* Cent. I. obſ. 79. annotaverit.

§. XII.

Ex PHARMACIA vero quæ desumuntur sæpe sunt efficaciora, & potissimum ea, quæ per alivum, vomitum, urinam atque sudorem evacuant. Inter hæc LAXANTIA, ante & post paroxysmum, verno & autumnali tempore, sunt utilissima, si materia peccans in primis viis abundat & vires consentiunt. Imo in obesis & iis, qui pleniori victu utuntur & gulæ plus Justo indulgent, singulis mensibus quandoque, si adsunt indicantia, mitiora possunt repeti. Talia sunt ex Aloe & pilulis aloeticis parata, cum rhabarbaro, Mercurio dulci & leni stimulo, ex grano uno vel altero resinæ scammonii vel gialapæ, quam *Borellus l. c.* præ aliis commendat. Optima etiam sunt Infusa laxantia, ex foliis senæ cum rhabarbaro, mechoacanno &c. cum antiscorbuticis, fumaria, cochlearia, raphan. rusticano recentibus, it. cum nervinis, & stomachicis ac aromaticis mista, v. gr. rad. Zedoar. Galangæ, acor. chamedrio, chamæpythio, cinamomo, sem. anis. Fœniculi & similibus. Nimis fortia vero purgantia, quatenus serum dulce imminuunt, ventriculum & totum corpus debilitant, & humores exagitant, non raro paroxysmum accelerant, imprimis, si nimis cito, post vel paulo ante paroxysmum, exhibeantur. A mitioribus vero, cum appropriatis mistis, hoc non est metuendum, inprimis, si ante vel post paroxysmum assumantur, & ubi æger vires recuperaverit. Hoc enim modo, morbi reliquiæ crassæ ac viscidæ, in paroxysmo nondum subactæ, promptius ejiciuntur, ut postea, quod remanet, absorbentibus & appropriatis facilius superetur.

§. XIII.

§. XIII.

Hinc etiam EMETICA, pro ratione circumſtantiarum, quandoque in bilioſis & diſpoſitis, loco purgantium conveniunt, ſi nauſea adeſt, aut oris amarities, atque inanis vomendi conatus, vel unus, aut alter lenis vomitus cum levamine. Laudat ea *Riverius*, *Hildanus*, *Mercurialis*, *Dolæus* & *Feldmannus p. 155.* exempla recenſet emeticorum feliciter exhibitorum. Parantur vero hodie unice fere ex tart. emetico, croco metallorum & oxyſaccharo emetico *Ludovici.* Cum illis vero nullo modo facimus, qui ægris ſvadent, ut vina diverſa, in magna quantitate, usque ad inebriationem ingurgitent, & hoc modo vomitum excitent, quia hoc modo cruditates ventriculi potius augentur, quam imminuuntur.

§. XIV.

Maxime etiam neceſſaria ſunt DIAPHORETICA & DIURETICA, quæ per cutis ſpiracula materiam peccantem propellunt, & lympham ſuperfluam, una cum partibus excrementitiis, per vias convenientes evacuant. Hæc enim maſſam ſangvineam ab acidis & terreis impuritatibus liberant, eamque nitidiorem & ad motum magis idoneam reddunt, omniumque humorum ſubtiliſationem promovent. Parantur vero ex ſalibus volatilibus & fixis, cinnabarinis, ſuccinatis & abſorbentibus, ipſisque decoctis lignorum, cum opiatis quandoque maritatis, quæ quia inter appropriata recenſebimus, hic in genere ſufficiat allegaſſe. Ipſe quoque ſpiritus lumbricorum terreſtrium, rite paratus, rectificatus & compoſitus, non eſt negligendus, cum Ettmüll: quoque lumbricalia inter Diurectica præſervantia a podagra referat. Scarabæis vero, inprimis unctuoſis ſubcœruleis, quos *Borellus cent. IV. obſ. 73.* commendat, ſiccatosque

 igne

igne & abjectis capitibus, alis & pedibus pulverisat ac a granis quatuor ad gr. sex, mane in vino propinat, per tres dies, si non prima aut secunda vice suffecerint, non utor, licet Ettmüllerus eos inter Diuretica referat fortia, quæ cum dolorosa stranguria operentur. Diæta quoque veterum sudorifera, ubi unice fere decocto quodam lignorum, etiam loco potus ordinarii, utuntur, & a plurimis cibis abstinent, in se quidem non æque noxia, si stomachus eam fert, sensim hodie exolescit, licet quandoque mediante ea podagra funditus possit extirpari. Qui enim hujus diætæ loco, circa usum appropriatorum, corpus ab aere frigido muniunt, & in lenimadore conservant, melius valetudini consulunt, quam, qui fortiter nimis sudant, & serum dulce dissipant, viresque frangunt & corpus emaciant. Ob hanc rationem etiam volatilia non omnibus conveniunt, quatenus in biliosis, magis turbas dant, & sopitum hostem excitant, unde in illis fixa & temperata absorbentia magis eligenda.

§. XV.

His omnibus subjungenda sunt APPROPRIATA, ex nervinis, antiscorbuticis & absorbentibus parata, quæ cum stomachicis temperatis sunt interpolanda. Talia sunt, spiritus salis ammoniaci simplex & anisatus, spiritus cornu cervi rectificatus, spiritus fuliginis, ebor. formicarum, viperarum, lumbricorum, rectificati. Liquor cornu cervi succinatus, Spiritus Bezoardicus Bussi, sal volatile cornu cervi, viperarum, Essentia castorei, succini, sal volatile oleosum, cinnabaris nativa & antimonii, lapides cancrorum, corallia, cornu cervi philosophicum, ebur sine igne, unicornu animale, perlæ præparatæ, mater perlarum, succinum præparatum,

crystallus

cryſtallus montana, radix ari præparata, ſal fumariæ, antimonium martiale cachecticum, pulveres cachectici rite parati, it. infuſa antiſcorbutica, nervina & ſtomachica, ex radice acori, galangæ, raphani ruſticani, eringii; foliis cochleariæ, naſturtii aquatici, chamædrio, chamæpythio, fumaria, floribus hepaticæ nobilis, cinamomo, cortic. citri, ſem. aniſi &c. it. decocta ex radice helenii, cichorei, polypodii, chinæ, ſummitatibus pini, abietis, raſura ligni ſaſſafras, ligni ſancti cum carminativis.

His non nulli jungunt OPIATA, imo quidam ea omnibus aliis præferunt, & varias pilulas, cum extractis nervinis, vel purgantibus, exinde conficiunt, ſingulisque menſibus propinant & pro maximis arcanis venditant. Tales ſunt pilulæ antipodagricæ Rhumelii, ſurge amice, veni & ambula, dictæ, quæ ex Maſſa pilularum aloephanginarum & laudano opiato conficiuntur. Enim vero ſicuti opiata rite parata, cum appropriatis refracte miſta, quandoque, inprimis cum diaphoreticis exhibita, non æque nocent; ita quoque non ſemper omnibus conveniunt, vid. de abuſu Opiatorum in arthritide, ad paralyſin diſponente *Ephem. Germ. d. 1. a 4. p. 335.* *it.* Ettmüllerus *de Arthritide p. 366.* ac de eorum effectu ſalutari *Pechlin. in Obſervat. p. 274. 275.*

§. XVI.

Aliis CURA LACTIS placet, quam etiam DIÆTAM LACTEAM appellant, quia ægris, qui hoc fine lacte utuntur, peculiarem diætam injungunt, quæ etiam ſatis eſt neceſſaria, ſi laudabilem effectum ab ea velimus expectare. Non etiam promiſcue omnibus podagricis eſt ſvadenda hæc Diæta, cum ſcorbuticis, hypochondriacis, cachecticis, & iis, qui obſtructionibus

viſcerum

viſcerum laborant, & humoribus acidis in primis viis abundant, lactis uſus ſæpe maxime noceat. In illis enim facile coagulatur lac, & cruditates ventriculi augentur, torminaque excitantur, & ſæpe cachexia ac alia mala inferuntur. Ubi vero ventriculi adhuc aliquale adeſt robur, & lympha in corpore non æque abundat, corpusque eſt perſpirabile, & ægro hoc remedii genus eſt acceptum, ibi quandoque ejus uſus eſt concedendus. Præmittenda tamen prius ſunt, quæ primas vias a ſaburra humorum, potiſſimum acidorum, liberant, & ſtomachica ac carminativa cum lactis uſu ſunt interpolanda, imo nonnulla, imprimis alcalia & abſorbentia, cum ipſo lacte ſunt propinanda, quia hoc modo coagulatio & corruptio ejusdem inhibetur. Aſſumendum etiam magis calidum eſt lac, ſtomacho vacuo, & ante & poſt ejus uſum ab acidis eſt abſtinendum. *vid. de cura lactis in Arthritide & Podagra Greiſelius & Waldſchmidius* de cura lactis, podagricorum ſolatio.

§. XVII.

Non minus moderatus uſus Theæ, inprimis cum ſale quodam volatili, ſimplici aut oleoſo, animatus, maximo cum fructu in uſum vocatur, ſi ſtomachus eam fert, & renes aquam ſuperfluam ſecernunt. Salia enim, in Maſſa ſangvinea oberrantia, aqua calida optime imbibit, & ea ad vias urinarias deducit, & ipſa herba partibus ſuis alcalinis acidum abſorbet & omnes humores corporis noſtri dulces & magis mobiles efficit, ut circulum ſuum promptius continuent. Similem fere effectum potus Caffe propter aquam calidam edit, ut & propter partes ſuas alcalinas, quæ pariter motum humorum promovent & ſalia e corpore eliminant. Quia vero fructus hic, propter ingratum ſaporem, ſine